

tale confert gaudium. Dominus enim omnipotens recordatus est mei et per angelum suum mihi dominici corporis sui transmisit sacramentum. Revera haec eadem particula est, quae a vobis quidem in calicem fuit posita, pro qua vos nunc arguit propria negligentia. Idem etiam caelestis paranympheus mihi praecepit, ut non prius hinc discederem, quam vobis hoc mysterium reserasset. Repleti igitur ambo laetitia mentis excessiva gratias egerunt omnipotenti deo, quia misericordiam suam magnificavit et desiderium beati viri adimplevit.

Cap. 9 [Beatus Conradus officio custodis fungitur^k. Crucifixi imago e scalis labentem^l protensa^m manu sublevat]

Humilitas omnium virtutum mater sanguine Iesu Christi fuit in corde discipuli descripta et signo imo sigillo dominicae crucis efformata. Quam in omnibus agendis dilexit habere praeambulam et magistram ita, ut in operibus discipuli foris palam claresceret, quod stigmata vulnerum magistri sui in corde portaret. Et functus enim aliquando custodis officio summitati scalae stabat innixus, ut figuralem crucem dominicam et effigiem panno mundissimo circumquaque mundaret, scopis pulverem abstergeret. Post peractum vero opus descensus titubante pede interstitiumⁿ scalae pedaliter non attigit et mole corporis declinante supinus cadere coepit. Protinusque manus domini affuit et eum in similitudine corporalis brachii quasi de cruce protensi sublevavit et sublevatum tamdiu retinuit, donec ad interstitium scalae pedem refigeret et sic securus descenderet. Ecce hoc novum signum vetus renovat miraculum. Manus enim domini, quae apprehendit apostolum mergentem, etiam sublevat discipulum cadentem. Revolvens autem in animo magnitudinem miraculi tanto stupore concutitur, ut se ipsum capere non valens, factus in excessu mentis ad solum provolvitur. Interea advenit hora surgendi post somnum meridianum et decantandi horam nonam. Custos aliquamdiu non comparuit et alter iussus vicem eius subplevit. Postea diligentius quaesitus et inventus quasi exanimis ad infirmitorium deportatus est. Deinde redeuntibus viribus ad loquendi facultatem oportunis rem gestam confitendo nudavit, nunc autem post mortem ipsius ad laudem dei mille millibus innotuit.

k) *dahinter gestrichen* de scascalis W_1 . l) *dahinter gestrichen* sublevat W_1 . m) *dahinter gestrichen* prompta W_1 . n) *instertitium* W_1 .